

/ Robertus miseratione. divina S.R.E. cardinalis Bellarminus
Protector totius congregationis Celestinorum ordinis S/i Benedi-
dicti
Litium diuturnitatem tumultus et anfractus quae religiosam
dedecent honestatem ac modestiam e Celestina congregatione nos-
5trae protectioni commissa quantum cum Domino possumus remove-
cupientes tibi venerabili Patri Carolo Campigny Celestino franco-
gallo praesentium tenore praecipimus ut in causa et causis appel-
lationis reclamationis sive quovis alio titulo nuncupatis motis
sive movendis inter te una cum tibi adhaerentibus et R/dum Patrem
10 Nicolaum Cuveron vestrum Provincialem ac Patrem Claudium Marsi-
lium priorem Parisiensem illisque adhaerentes coram Ill/mis et
R/mis DD. S/ae R/ae E/ae Cardinalibus iudicibus a Sanctissimo Domi-
no deputatis sive alio quocumque tribunali vertentibus nihil pro-
rsus moveas, attentes, actites vel innoves neque per te neque pro-
15 curatores tuos sive alios quomodocumque directe vel indirecte sed
in venerabili cartusia ubi ad praesens commoraris modo et forma
quibus ibidem reperiris modestus quietus et patiens persistas,
quousque abbas generalis totius congregationis Caelestinorum ad
vestra gallicana monasteria visitanda et causas hujusmodi cognos-
20 cendas et terminandas auctoritate Summi D.N. Papae, et nostra (quod
brevis fiet) proficiscatur. Quae omnia et singula a te inviolabi-
liter observanda de ejusdem Summi D.N. ac nostra mente atque deli-
berata voluntate emanasse omnibus et singulis cujuscumque status,
gradus, dignitatis et proeminentiae personis harym serie notum
25 facimus et declaramus tibi quoque praefato Carolo Campigny ut nostris
his imo verius Summi D.N. P.P. mandatis omni exceptione remota omni-
no obedias injungimus et mandamus isto et omni meliori modo, in
quorum fidem has fieri jussimus nostras nostrique secretarii sub-
scriptionibus firmas nostrique sigillique impressione roboratas.
30 Datum Romae in aedibus nostris die sexta mensis Aprilis millesimo
sexcentesimo decimo octavo.

Robertus Card/lis Bellarminus Protector Caeles-
Antonius Doctus Secr. de mandato (cachet) tinorum.